



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

S. Hvberti Coenobium Andaginense, in Arduenna.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

CAPVT XXIX.
S. TRVDONIS

Cænobium Sarchiniense, in opido Trudonopolitano, diœcesis & ditionis Leodicensis.

B Trudo nobilissimis parentibus Vuilboldo & Adela, in Sarchinio apud Hasbanientes natus, post à Clodulfo Metensi Episcopo institutus, Metisque in Hasbaniam reuersus, voto, quod puer vouerat, satisfacturus, in Sarchinio, ad fluuium Cifindriam in sua hereditate, cænobium proprijs expensis fundauit: quod cum ad inhabitandum decenter aptatum, in altum perduxisset, dedicari fecit à sancto Theodardo Traiectensi Episcopo, in honore SS. Quintini & Remigij, anno Domini sexcentesimo quinquagesimo septimo. III. Idus Octobris. *Hæc ex MS. Chronico Trudonensi desumimus.*

Quiescunt autem hoc in cænobio S. Trudo fundator, S. Eucherius Episcopus Aurelianensis, à Carolo Martello sede sua pulsus, & S. Liber- tus martyr; de quibus consule Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij, & Surium.

S. HVBERTI

Cænobium Andaginense, in Arduenna.

Cœnobij istius condendi auctor fuit S. Berregisus, qui in Sarchiniensi cænobio. à S.

Trudo-

An. 606.

An. 657.

S. Trudo
obijt an.
693.

Trudone recens exstructo, regularibus discipli-
nis informatus, locum hunc à Pipino Maiore do-
mus regia impetrauit. De quo Chronographus
Trudonensis: Beregisus, inquit ex pago Con-
drofio ortus, & à parentibus intra monaste-
rium S. Trudonis, sub habitu religionis, lit-
terarum studijs & lege diuina imbuendus
traditus, largiente Pipino Principe eidem la-
ta prædia, monasterium Andainense in ho-
nore S. Petri construxit, in quo clericis ordi-
ne Canonico militantibus, ipse pater in eo-
dem habitu est sociatus, quod modò S. Hu-
berti in Arduëna nuncupatur, vbi Vuafo Leo-
diensis Episcopus, delato eodem * à Traiecto
corpore dicti S. Huberti, pro Canonicis re-
gularibus monachos instituit.

Ex quibus Trudonensis Chronographi verbis
illud effici videtur, cum apud Sarchinienses, seu
Trudonenses, tum apud Andaginenses ex primæ-
ua institutione fuisse non monachos, sed clericos,
seu Canonicos, vt vocant, regulares. Quod ante
nos & Ioannes Molanus, vir antiquitatum Ec-
clesiasticarum, præsertim nostratum, peritissi-
mus, obseruauit.

Hoc porrò cœnobium S. Huberti nomine
vulgò innotescit, cuius sacrum corpus ibidem
piè adseruatur; quod Vuafo seu Vualcandus
Leodicensis Episcopus, eodem Leodico, anno
Christi octingentesimo vicesimo quarto, trans-
tulit.

* Alij,
Leodico.

In Natal.
SS. Belgij
2. Octob.

Sigeb. in
Chron.
an. 824.